



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Conclusio Prædictorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

quibus adeo excelsa præmia obtinentur! O dulcis victoria, quæ licet ad tempus carni penam; spiritui tamen adfers thronum ad eum excelsum gloriæ. Assume igitur animum, anima mea, ad pugnandum pro Christo usque ad partam victoriam; siquidem ille pollicetur, et postea regnaturam cum ipso in throno gloriæ eius.

CONCLUSIO PRÆ-  
DICTORVM.



X dictis in hisce punctis, concludo sententiam quandam, cōpletentem capita quinque, quæ fuerunt argumenta meditationum in toto hoc libro, efficacia ad nos alliciendos ad diuinum obsequiū: quod videlicet labores huius vitæ non sint pares, nec inferno, quem peccatis meis sum promeritus; nec coelo, quod mihi est promissum; nec iis, quæ meus Redemptor fecit, passusque est mei remedii causa; nec infinitæ bonitati & maiestati Dei, cui seruo; nec beneficiis innumeris, quæ mihi contulit, & adhuc spero conferet, dum tribuet mihi præmia gloriæ: Quæ fiducia ea præmia obtinendi, inniti debet præcipuè bonitati & charitati Dei promittentis, & meritis IESV Christi D.N. qui illa comparauit, ac desiderio quod præfert, me faciendi illorum participem; & tot mediis, quæ mihi dedit ad

illa

Tituli &  
nomina fi-  
ducia ob-  
tinendi  
Dei præ-  
mia.



illa consequenda; & possessioni, quam idem Saluator iam accepit, non sibi tantum, sed omnibus etiam illis, qui ipsi adherere voluerint, & coniungi, tanquam viua membra suo capiti.

ADHAE C reuocabo mihi in memoriam, quod ait S. Paulus, quandam veluti summam faciens horum omnium titulorum, siue causarum huius fiducia, his verbis: *Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit in Christo, (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit; & consedere fecit in caelestibus, in Christo IESU: vt ostenderet in seculis superuenientibus, abundantes diuitias gratiae suae, in bonitate super nos in Christo IESU, per eius merita.* O Deus ditissime in misericordijs, quid tibi reddere possumus, pro innumeris in nos collatis beneficiis, & pro inestimabilibus diuitijs misericordiae nobis comunicatis? Tu nos immensa charitate dilexisti, & propter eam, filium tuum nobis dedisti Redemptorem; cum essemus mortui ob peccata nostra, gratis dedisti nobis vitam gratiae tuae, moriente filio tuo pro nobis, eiusque morte nos viuificasti; quo resurgente ad vitam gloriosam, securos nos fecisti, quod resurgemus cum eo, vt simus participes eius gloriae; & eodem ascendente in caelum, vt ad dextram tuam sederet, pignus nobis dedisti, quod eo peruenientes sedebimus cum eo in throno eius, & hoc totum facis, non propter bonitatem nostram, sed

Ephes. 2. 4.



propter tuam; non propter merita nostra, sed propter merita filij tui; ad manifestandam in tuis electis, magnitudinē infinitæ misericordiæ tuæ, & inæstimabiles diuitias tuæ gratiæ, & immensam dignitatem Saluatoris, qui eam est promeritus. & quandoquidem hæc te permouerunt, vt opus nostræ salutis inchoares, eadem te permoueant, ad eandem in nobis perficiendam; vt plurimi sint, qui cœlestes sedes impleant, & occupentur in decantandis laudibus tuis, & vnigeniti filij tui **IESV Christi, & Spiritus S. per infinita sæculorum sæcula.**  
Amen.

*FINIS SEXTAE PARTIS.*



INDEX